

talis capacitas, et talis entitas sic conjuncta formæ fit a Deo, et participat aliquid a Deo, quia entitas creata est, et hoc ipsum quod est suscipere formas, et capacem esse formarum, aliquid reale est, et consequenter participatio Dei est, et ut conjuncta formæ est entitas actualiter formata, et reducta ad actum: ergo actualiter participans a Deo esse, ergo habet ideam, quia habet esse formatum, licet remota omni forma removeatur etiam idea, quæ est forma extrinseca, neque causat nisi mediante aliqua intrinseca, qua redditur res formata, et ideata, et determinatum esse habens. Itaque cum materia habeat duplicem statum informitatis, et formationis, cum formatur habet esse determinatum ita quod illud esse licet proveniat a forma, non soli formæ convenit, sed etiam materiæ per formam, cum autem informis est, indeterminatum habet, et solum in potentia ad esse, sub statu formationis, id est, ut adjuncta alicui formæ ideam habet, sed non aliam a composito: sub statu autem informitatis caret idea determinata, quia caret esse determinato; sicut lignum, ut subest alicui formæ artis, ideam artificialem habet; sine illa caret, et idea artificiosa.

Sed quæres, an formæ tam substantiales, quam accidentales habeant solum ideam compositi, an etiam propriam ideam, et similiter aliæ partes compositi. Ad hoc.

XV. Dico quarto: Formæ substantiales non subsistentes, et accidentales propriæ, quæ ex illa dimanant ut proprie passiones, si connaturali modo fiant, non habent ideam distinctam, et seorsim ab idea compositi, licet inadæquatæ ideæ sibi correspondant; possunt tamen proprias, et adæquatas ideas habere, si modo non connaturali fiant: acci-

dentia vero communia etiam connaturaliter suas proprias ideas habent. Totum hoc desumitur ex D. Thoma in præsentis articulo III ad IV et q. III de verit. ar. VII, Vasquez tamen in præsentis disputatione LXXIII, c. III, docet contra D. Thomam accidentia propria habere suas speciales et proprias ideas. Ut probetur conclusio, supponimus quod formalicet non habeat esse ut quod, et ut res subsistens, habet tamen esse determinatum ut quo, tamquam ratio et principium determinate essendi: in quo differt a materia, quæ de se solum dicit principium quo recipiendi varias formas, non determinandi, et sic est indifferens, et indeterminata, et carens omni esse determinato ex se: forma autem licet non habeat esse ut quod, et sic non sit ideata ut quod, sed id competat ipsi composito, cujus est forma, est tamen principium essendi ut quo, et ita est principium quo aliquid est ideatum, et formatum. Convenit ergo tam materia, quam forma, quod neutra est res ideata per se, et ut quod, differunt vero, quod forma est principium quo aliquid redditur formatum, et consequenter ideatum, materia vero est principium recipiendi formationem mediante tali forma, et consequenter ideationem, de se vero determinatam formationem non habet, atque adeo neque ideationem, seu ideam determinatam.

XVI. His positus probatur prima pars conclusionis, quia forma substantialis, et est pars constituens ipsum compositum quod generatur, et est terminus intrinsecus, et formalis generationis; accidentia etiam propria ita consequuntur ad formam substantialem, illique sunt connexa, quod ad complementum pertinent generationis, quia qui dat formam, dat consequentia ad formam; ergo connaturali modo ita omnia producuntur eadem genera-

tione, et cadunt sub eadem efficientia: ergo sub eadem idea, quæ omnia illa per modum unius comprehendit, sicut per modum unius generationis fiunt, ut declaratur amplius, quia si ad hoc non sufficeret unica idea, sequeretur quod ubicumque ideatum plures partes habet, etiam idea deberet multiplicari, et sic solum daretur una idea respectu rei indivisibilis, non respectu compositæ, quantumcumque res composita una esset: cum tamen videamus etiam in artificialibus creatis, quæ plures partes habent, et plura accidentia adornantia, et tamen una et eadem idea fiunt; sicut pictor unica idea facit totam imaginem, et statuarius statuam, licet pluribus partibus constent, et pluribus accidentibus, si quidem totum hoc potest unico conceptu exprimi, quia omnia sub unitatem rediguntur: ergo etiam unica idea formari ex parte ipsius conceptus, et similiter unica generatione causari ex parte ipsius efficientiæ: ergo ex omni parte unica idea sufficit ad omnes partes, et accidentia propria unius ideati, quæ unica generatione possunt fieri.

XVII. Secunda vero pars, quod istæ formæ possunt species et proprias habere ideas, si modo sibi non connaturali fiant, sed prænaturali probatur, quia possunt istæ formæ fieri a Deo, et conservari sine omni subjecto, et extra totum compositum; ergo et speciali idea distincta, et separata ab ipso composito formari, et attingi. Antecedens est certum, cum possit Deus ponere formam accidentalem extra subjectum, ut quantitatem in eucharistia: ergo et substantialem extra compositum: ergo sine idea compositi, aut subjecti, seu independentem ab illis potest eas producere. Consequentia vero manifesta est, quia tales formæ si illo modo producuntur, ponuntur in esse, et

formantur extra subjectum, et compositum, quia extra illud conservantur, et sustentantur: ergo sunt ideabiles sine idea subjecti, et compositi, sed per ideam propriam seorsim: si quidem seorsim ab ipso composito ideato et posito in rerum natura ponuntur a Deo, et conservantur in esse: ergo etiam debet poni idea talium formarum seorsim, et distincte ab idea compositi: semper enim conformantur inter se idea et ideatum. Et licet formæ illæ dicant ordinem ad subjectum, vel compositum, tamen de facto non pendent in suo esse, et conservatione vel formatione ab ipso subjecto, sed independentem ab ipso fiunt, et existunt: ergo etiam actu non fiunt, neque existunt per ideam subjecti, quia independentem a tali subjecto, et idea ejus habent esse, nec formantur per ideam compositi, sed seorsim ab illa.

XVIII. Dices: Ut accidens maneat separatum, non indiget Deus mutare concursum, aut ponere aliquid positivum de novo in accidente, ut diximus in lib. de gener. q. IX, sed solum continuare illummet concursum quo ante dabat esse accidenti, dando modo illum sine dependentia a subjecto: ergo nec indiget distincta idea.

XIX. Respondetur non indigere distincta idea ipsius accidentis secundum se, sed solum quod non dependeat ab idea ipsius subjecti, cui illud accidens erat annexum, et cum quo producebatur. Unde idea illa qua simul cum subjecto attingebatur accidens erat virtualiter multiplex, quia dabat esse pluribus formis, seu partibus: quando autem dividuntur, et fiunt veluti quædam totales entitates, etiam diversa et distincta indigent idea, saltem quia diverso modo accipiunt esse, et sine dependentia, sine qua ante non accipiebant; hoc enim sufficit ad ide-

andum diverso modo, et ponendam diversam ideam, licet entitas et esse sit idem; sicut idem corpus Christi diversa idea sit per transubstantiationem, et per generationem et pars aquæ si dividatur, et fiat distinctum individuum, diversa idea fit, quia diversa individua diversam ideam habent, ut mox dicemus. Itaque idea respicit rem ut formatam, et generatam, et ubi diversa generatio, seu modus, aut dependentia tollitur, aut ponitur, diversa idea datur.

XX. Denique, tertia pars conclusionis, de accidentibus communibus probatur ex dictis, quia alia generatione, seu actione fiunt, quam propria, aut saltem sic petunt fieri tamquam perfectiones quædam superadditæ, nec ad complementum generationis pertinentes, et habent distinctam entitatem et imitationem Dei: ergo et distinctam ideam de se postulant: sicut non ea idea qua homo fit homo, fit grammaticus, nec eadem idea qua fit aliqua domus, depingitur, vel ornatur.

XXI. Quod si dicas: Etiam accidentia communia possunt fieri eadem generatione cum ipsa substantia, sicut homo generatur albus vel niger cum hac vel illa figura, etc. ergo possunt etiam ab eadem idea formari, qua formatur ipsa rei substantia. Si vero recurramus ad dependentiam, et inhærentiam accidentium, quæ diversa est in ipsis a modo existendi substantiæ, vel etiam ad diversam entitatem, qua diversimode imitantur divinam essentiam et ideam, contra est, quia hæc duo pari modo currunt in accidentibus propriis atque in communibus: nam etiam illa inhærent, et diversam entitatem, atque imitabilitatem habent: ergo vel utraque habent diversam ideam, vel neutra.

XXII. Respondetur accidentia communia posse fieri eadem gene-

ratione, qua subjectum, non per se, et ex formali ratione talis generationis, sed per accidens, ex aliqua materiali determinatione adjuncta, quia materia sic determinatur ex aliquibus præcedentibus dispositionibus non requisitis necessario ad formam illam: nam de se illa accidentia possunt magis fieri distincta, mutatione, et alteratione, quam per primam rei generationem, ut experientia ipsa videmus, quod manente tota rei substantia, alterantur, et mutantur ista accidentia, et sic de se exigunt distinctam ideam, quia absolute non sunt connexa substantiæ rei, et possunt mutatione tolli aut poni. Quod vero generentur simul cum ipsa substantia, non est ex aliqua connexionem cum illa, et consequenter neque cum idea illius, sed quia sicut postea ista accidentia possunt mutari, et alterari, tolli, aut poni, ex diversa susceptione, et dispositione materiæ, quæ talibus subjacet accidentibus, ita possunt in prima rei generatione sic produci, quia potest tunc similis materiæ immutatio, aut dispositio occurrere; ut quod lapis generetur cum calore vel frigore, homo cum albedine, vel nigredine nascatur ex dispositione materiæ, quæ tunc per accidens occurrit, non ex aliqua consecutione et connexionem cum forma, et natura, quæ tunc generatur, nec ut per se ad illam requisitum, et ex vi suæ propriæ ideæ talis substantiæ postulatum.

XXIII. Quod vero dicitur accidentia communia non minus fieri cum dependentia, et inhærentia in subjecto, quam propria, respondetur quod quantum ad inhærentiam verum est, sed quantum ad connexionem cum ipsa substantia, et natura, est magna differentia, ut explicavimus, et ita non fiunt eadem generatione, et idea per se, et formaliter loquendo, et vi talis generationis, et natu-

ræ, licet per accidens, et materialiter, id est, ex aliqua determinatione materiæ tunc per accidens occurrente, possint nunc simul fieri. Quod vero dicitur de diversa imitabilitate in accidentibus, et in substantia, dicimus diversam esse imitabilitatem, tam in accidentibus propriis, quam communibus, respectu ipsius substantiæ cui inhærent, quantum ad entitatem, seu quidditatem substantiæ, et accidentium. Si autem attendamus ad connexionem, et coordinationem accidentium cum substantia, idea substantiæ exigit ad sui complementum etiam extendi ad accidentia, quæ sunt propriæ passionnes ejus quia in eis completur generatio substantiæ; qui enim dat formam, etiam dat consequentia ad formam; et sic talia accidentia continentur radicaliter in ipsa substantia, cum ex ejus visceribus per necessariam connexionem emanent, imo ipsa substantia radicaliter est suamet proprietates, sicut dicimus quod rationale radicaliter est risibile: ergo similiter idea substantiæ radicaliter est idea accidentis proprii, et ad illud extenditur, quia per se eadem generatione fiunt, et in ipso accidente proprio completur generatio substantiæ: ergo illa idea qua formatur talis substantia extensive, etiam tangit talia accidentia, et per se ex vi formali talis generationis, quod non currit in accidentibus communibus, quæ nec radicaliter continentur in substantia, nec eadem generatione per se fiunt.

XXIV. Dico ultimo: Diversa individua intra eandem speciem habent distinctam ideam in Deo; gradus vero diversi in eodem individuo, ut generis, speciei, eadem idea attinguntur in ratione causæ, et exemplaris. Prima pars conclusionis est expressa D. Thomæ in præsentis articulo III ad IV et in I, dist.

XXXVI, q. II, art. III ad III et q. III de verit. art. VIII, ubi inquit quod: « Per divinam providentiam definiuntur omnia singularia, et ideo oportet nos singularium ponere ideas. » Fundamentum autem videtur posse sumi ex dictis, quia diversa individua fiunt per diversas actiones, seu generationes: ergo exigunt diversam ideam: hæc enim generationem respicit ideati, generatio autem non exercetur, nisi in individuo, et in diversis individuis diversæ generationes. Sed hæc probatio est insufficientis, quia diversa individua solum materialiter differunt, et similiter eorum generationes: possunt ergo procedere ab una idea, quæ directe solum respicit naturam, et speciem, infra quam potest plura multiplicare, sicut eadem causa efficiens potest plures affectus individuales causare: cur non ergo eadem idea? Præsertim cum in artifice creato videamus quod per eandem ideam facit plura individua, ut plures statuas, aut vasa ejusdem rationis.

XXV. Propter hoc profundius rationem hanc penetravit D. Thomas et ostendit Deum habere distinctas ideas de distinctis singularibus, et non solum unam ideam de ipsa specie, quæ serviat pro omnibus singularibus; eo quod Deus non solum est auctor formæ, a qua desumitur species, sed etiam ipsius individuationis, quia producit ipsam materiam, non supponit sicut artifex creatus. Unde in hoc maxime excellit eminentia artis divinæ super artificem creatum, quod artifex creatus cum debeat supponere materiam non producere, et ab ipsa dependeat, non oportet quod de singulis individuis habeat distinctas ideas, sed solum ideam de ipsa forma: multiplicatio vero individualis non oportet quod sit ex arte, sed ex ipsa divisione materiæ naturaliter

resultat. Et ita ex præcisa ratione individuationis non oportet multiplicare ideas creatas, nisi in aliquo individuo sit specialis aliqua difficultas, vel ratio ob quam specialis idea requiratur, quia videlicet aliqua specialia accidentia, vel ornatus, aut circumstantia aliqua est in eo, quæ non invenitur in alio individuo: et tunc ideo requiritur specialis idea, quia intervenit aliqua specialis forma accidentalis, quæ artificiose facienda est: sola vero, et præcisa individuat, quæ ex divisione materiæ, et quantitatis resultat, ideam specialem in artifice creato non requirit, quia hoc naturaliter resultat, posita divisione, licet ipsa divisio aliquando artificiose fiat, non propter ipsam divisionem præcise, sed quia talis figura, aut forma fit per incisionem rectam, vel curvam, aut rotundam: at vero Deus quia etiam est artifex ipsius naturæ et ipsius materiæ, et divisionis ejus naturalis, quia non supponit aliquid de materia, sed facit, pertinet ad ipsum de diversis individuis distinctas ideas habere, imo maxime ad ipsum, quia ultima determinatio individuationis tam in actionibus, quam in rebus ad ipsum Deum pertinet, qui est causa ipsius materiæ, et determinationis ejus individualis, quæ non est ex forma, sed ex efficiente: forma enim determinat speciem, efficiens autem determinat exercitium in materia a quo pendet individuat: supremum autem efficiens Deus est.

XXVI. Secunda vero pars conclusionis probatur ex D. Thoma q. iii de verit. art. viii ad ii ubi dicit quod: « Si loquamur de idea proprie secundum quod est rei, eo modo quo est in esse producibilis, sic una idea respondet singulari speciei, et generi in individuatis in ipso singulari, eo quod Socrates, homo et anima non distinguuntur se-

cundum esse: si autem accipiamus ideam communiter pro similitudine, vel ratione, sic cum diversa sit consideratio Socratis, ut Socrates est, et ut homo est, et ut animal est, respondebunt ei plures ideæ, vel similitudines. » Ita D. Thomas, cujus ratio sumitur ex ejus verbis, quia omnes illi gradus in eodem singulari individuo constituunt unam naturam, et unum suppositum unica actione producibile, et sub unica existentia existens, ergo etiam sub unica idea comprehensum, quatenus idea dicit causam efficaciter intendentem, et productivam effectus. Cæterum quia omnia ista prædicata, et omnes isti gradus illa re singulari fundant diversas rationes, licet in re sint una entitas, et sunt representabiles secundum suam distinctionem virtuales, ideo si idea sumatur solum pro ipsa similitudine, seu conceptu representante, et non causante, sic possunt de istis diversis rationibus inveniri plures similitudines representantes tales rationes, eo modo quo ipsæ diversæ sunt, scilicet secundum diversam considerationem, v. g. ut est homo, vel ut est animal, ut dicit D. Thomas. Ad hoc autem non exigitur diversitas formalis idearum, sed sufficit virtualis, videlicet eo modo, et non aliter quo invenitur in ipso ideato.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXVII. Contra primam conclusionem arguitur, quia scientia practica, ut practica est, et similiter idea, quæ essentialiter est forma practica necessario supponit voluntatem liberam erga suum objectum, eo quod scientia practica est quæ ordinatur ad operari; non potest autem ordinari ad opus, nisi per voluntatem, quæ est inclinatio ordi-

nans ad movendum, et operandum in exercitio: voluntas autem Dei ad operandum ad extra debet esse libera: sed circa res possibles Deus nullam habet volitionem liberam, ut infra circa quæstionem xix dicemus: ergo nec scientiam practicam, et consequens neque ideam in actu, quia idea est forma practica, et ordinata ad opus. Confirmatur ex D. Thoma qui supra quæstione xiv, art. xvi dicit, quod Deus respectu eorum quæ nunquam erunt, solum habet scientiam practicam virtute, non actu. Et in præsentis articulo tertio dicit quod respectu eorum, quæ aliquando fiunt, habet Deus ideam, ut exemplar, respectu vero eorum quæ nunquam fiunt, habet Deus ideam, non ut exemplar, sed ut rationem cognoscendi per modum speculationis: ergo non habet ideam actu practicam respectu pure possibili; idea autem non practica non est idea. Et D. Dionysius in v capite de div. nominibus vocat exemplaria prædefinitiones Dei, et veras, et bonas voluntates prædeterminativas, et effectiva honorum: ergo ubi non est voluntas, non est idea; circa possible autem non est voluntas.

XXVIII. Respondetur ex supra dictis, quod idea, et scientia practica dependent a voluntate, et supponit illam quantum ad vim executivam, quia omnia executio, et efficacia in movendo a voluntate dependet, sed quantum ad vim directivam, et formativam solum consistit in intellectu formante, et exprimente ipsam ideam: et ita idea in actu practica, quoad virtutem directivam solum requirit intelligentiam in actu, non vero voluntatem in actu, nisi quando actu exequitur, et ad effectum movet, se sufficit, quod in intellectu existens dicat ordinem ad voluntatem, quando executione operandum est. Unde licet

actu Deus non habet amorem erga creaturas possibles, habet tamen actu ideam, non quidem actu exequentem, sed actu habentem virtutem formativam; dependentem tamen quoad executionem a voluntate ut ab applicante.

XXIX. Ad confirmationem jam supra diximus quod D. Thomas in priori loco dicit dari scientiam practicam virtute, et non actu, id est, quantum ad executionem, et applicationem, qui est modus practicæ scientiæ, non tamen negat quod habeat actu virtutem formativam practicæ ipsius ideati, licet quantum ad applicationem dependeat a voluntate. In secundo autem loco dicitur Deus habere ideam respectu eorum, quæ aliquando fiunt per modum exemplaris, quia non solum habet illam quantum ad virtutem formativam, sed etiam quantum ad applicationem, et executionem, quia iste est modus exemplaris practici: respectu vero eorum quæ nunquam fiunt, habet quidem ideam practicam, quantum ad vim formativam, sed quia caret modo practico quoad applicationem et usum dicitur solum habere per modum speculationis, non quia practica non sit, sed quia non utitur illa modo practico quoad executionem ad extra, sed quoad modum cognitionis ad intra, quod est modus speculationis quodammodo habere. Ad D. Dionysium dicitur quod exemplaria, seu ideas vocat prædefinitiones, et bonas voluntates quantum ad id quod in idea requiritur ex parte applicationis, et executionis, non ex parte virtutis formativæ.

XXX. Secundo, arguitur contra tertiam conclusionem, in qua dicimus materiam primam secundum se carere idea: nam imprimis id expresse est contra D. Thomam, q. iii de verit. art. v, ubi inquit: « Nos ponimus materiam causatam esse a